

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXVIII

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.


DE CALLIMACHI EPIGRAMMATIS

SPECIMEN PRIMUM

F. V. FRITZSCHIVS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.



Poetas Alexandrinos qui legere coeperit, mirificos quosdam in verbis, formis, dialectis denique artifices, ei haec omnia, quorum difficilis saepe explicatio est, minime negligenda sunt. Verum epigrammata eorundem si quis tractare voluerit, ei magnopere suadeo, ut rem ipsam magis etiam quam verba consideret ac primo sententiae acumen reperire studeat, quo acumine nullum carere epigramma potest. Vobis autem, Commilitones, quo melius et antiqua et recentiora ejusmodi carmina perspicere liceat, nunc auctor sum, ut quam primum legatis relegatisque praeclaram illam dissertationem G. E. Lessingii nostri: „Zerstreute Anmerkungen über das Epigramm und einige der vornehmsten Epigrammatisten“ (Vol. VI p. 213 sqq. ed. Lips. a. 1858).*) Atque haec eo praefatus sum, quod scribendi occasione oblata de Callimachi epigrammatis pauca dicere constitui: quibus epigrammatis nihil profecto fieri potest venustius. Constat autem, de emendandis Callimachi epigrammatis R. Bentlejum eximie meritum esse: quem criticum quum alii editores tum nuper A. Meinekius saepenumero ducem recte secuti sunt. Bentlejus igitur, quum postea in Praefat. ad Dissert. Phalar. p. 117 ed. Lips. illud carmen quod nunc est in Palat. Anthol. VI, 301 plane retractaret: epigramma esse demonstravit ingeniosissimum, ejusque acumen cerni in aliarum vocum ambiguitate, in aliarum similitudine translata: quod epigramma olim a Bentlejo haud intellectum bene corrigere Bentlejo ipso iudice praestat quam librum totum conscribere.

Nobis nunc ab eo epigrammate placet incipere, quod est de nautilo. Totum servavit Athenaeus VII p. 318, b, cujus hoc est initium: *Κόγχος ἐγὼ, Ζεφυροῦτι, παλαιότερος, ἀλλὰ σὺ νῦν μοι, | Κύπρι, Σεληναίης ἀνθεμα πρῶτον ἔχεις, | ναυτίλον, ὃς πελάγεσσιν ἐπέπλεον* — V. 1 codex Venetus male *μοι* pro vulgata *με*. Ibidem *παλαιότερος* depravatum est, pro quo Bentlejus *παλαιότερον* conjiciebat. Omitto aliorum correctiones, ut Schneideri: *πάλαι τέρας*, quorum alterum *τέρας* non intelligo. In hac turba locus est meae conjecturae: *πάλαι τέος* h. e. „ut concha ego tibi, Venus, dudum consecrata sum“. Sententiam vel e Lucian. D. Marin. XV, 3, Plauto in Rudente v. 704 et Pseudobulbo III, 3, 34 tirones facile perspicient. V. 2 ab omnibus verba *ἀνθεμα πρῶτον* conjuncta erant, id quod ferri non posse cum Heckero Meinekius ad Callimach. p. 268 recte vidit ratus ille quidem haec quoque esse corrupta. At satis est deleto post *ἔχεις* commate haec verba *πρῶτον ναυτίλον* construere: „nunc autem, inquit, ab Selene dedicatum me habes ut primum (tempore) nautam“ (non ut concham vulgarem). Quum illa *Κόγχος ἐγὼ* — et haec *ἔχεις ναυτίλον* invicem opponantur, Toupium conjecturam *ναυτίλου* pro *ναυτίλον* patet esse omnino ineptam. Enimvero in v. *ναυτίλον* praeclara inest ambiguitas, quae vox non solum de bestia illa aquatili usurpatur, verum etiam idem est quod *ναύτης*. Hinc proxime v. 3—6 fin. se demonstrat nomen et omen habere seque *ναυτίλον* non solum polypum

*) De arte epigrammatis vel scribendi vel scriptum exponendi haud dubie in rhetorum scholis praecepta quaedam dabantur. Quae artis praecepta num ullus scriptor antiquus, similiter ac Lessingius nostras in lucem ediderit, fateor nos nescire: nisi quid forte de libro Neoptolemi suspicari libet, de quo Athenaeus testis est X p. 454 f.: *Νεοπτόλεμος ὁ Παριανὸς ἐν τῷ περὶ ἐπιγραμμάτων*. At Polemo Periegetes, qui circa a. 200 ante Chr. donaria et epigrammata multis libris descripserat, Meleagro praelusit Gadareno, qui centum fere annis post Polemonem non tam ipse novis scribendis quam colligendis veterum poetarum epigrammatis immortaliter meritis est. Quanquam fuerunt, quibus etiam ipsius Meleagri epigrammata (exstant autem plurima) mirifice placerent.

sed etiam nautam esse manifestarium. Sed qui olim „primi nautae“ fuissent, disceptatum est, quum poetae plerique (ut Ovidius Amor. I, 15, 21 et Martialis VII, 19, 2) Argo navem fuisse omnium primam canerent, alii autem bene multi ap. Plinium H. N. VII, 57 facta a poetis secessione novas inter se rixas sererent. Quibus videtur Callimachus joco ita respondere, ut naturam ipsam arti praeferat neque Argo sed nautili concham pro prima nave habeat, neque Jasonem dicat primae ratis molitorem fuisse, sed nautilum polypum. V. 4. Similiter Plinius N. H. IX, 88 „velificante“ membrana nautilum narrat in aura navigare: id quod nostri naturae scrutatores recte dictum esse negant. V. 6. *ποσσὶν ἢ ὥσ' ἔργω* cod. Venetus. *ὥς τῶργω* M. Hauptius optime correxit. Praeterea *ποσσὶν ἢ δ'* recte cum O. Schneidero A. Meinekius, qui *ἢ δ'* ὥς frequens esse poetis Anthologiae docuit in Delectu P. A. Gr. p. 179. V. 7. libri *ἔς τ' ἔπεσον*. At *ἐκπεσεῖν* verbo opus est. Itaque Hemsterhusio auctore Jacobsius et Dindorfius *ἐκ τ' ἔπεσον* emendarunt. Malim tamen: *ἐκ δ' ἔπεσον*. Ibid. *Ἰουλίδος* Causaubonus, libri *Ἰουλίδας*. Sine idonea causa Meinekius *Ἰωνίδας* conjecit. Quum enim nautili inventu sint rarissimi, non est quod miremur, ab Selene Smyrnaea puella non domi sed ad litus Ceae insulae nautilum vel emtum esse vel inventum. V. 8. *σοι τι περίσκεπτον* Ernestius recte. *σοι τὸ περίσκεπτον* libri apud Athenaeum. *σοι περίσκεπτον* legit Etymol. M. p. 664, 49. Ex eodem Etymologi loco *Ἀρσινόη* restitutum est, quum in Athenaeo libri *Ἀρσινόης* exhibeant. V. 9 sq. Quae de hujus distichi sententia interpretes commenti sunt, ea partim infra posui, ut minus utilia.*) Mihi quidem et quae hic corrupta sunt, melius videntur corrigi posse et verba *ἐν θαλάμῳ* recte atque ordine explicari. Principio *ἐν θαλάμῳ* nihil aliud esse potest nisi hoc: „in nautili cubilibus.“ Nam *θαλάμη* ipsius polypi cubile denotat in Odyss. ε, 432: *πολύποδος θαλάμης ἐξελκομένοιο*, in Hymn. Apoll. v. 77: *πολύποδες δ' ἐν ἐμοὶ θαλάμας — ποιήσονται*, in Aristotele ap. Athen. VII p. 317, e (bis) et paullo ante p. 316, d: *τὰ ὄστρακα τῶν θαλαμῶν ῥίπτων*, quae ita vertit Plinius N. H. IX, 86: „praejacentibus testis cubile eorum deprehenditur“. De piscium cubili *θαλάμη* saepius est ap. Oppianum velut in Hal. v. 264 et v. 445. Opus est autem in ejusmodi locis genere foemineo. Ita „serpentum latibula“ *θαλάμας* potius quam *θαλάμους* dici Valckenarius ad Phoeniss. v. 938 bene ostendit. Deinde de apum cellis Vergilius Georg. IV, 188: „Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur“: quodsi forte e Nicandro Colophonio haec quoque sumta sunt, *θαλάμας* dixisse Nicander censendus est, sicut Apollonides in Anthol. Pal. VI, 239 v. 6 habet *κηροπαγεῖς θαλάμας*. Itemque de ferarum lustris posuit Dioscorides Anthol. Pal. VI, 220 v. 15. Sed tantum abest, ut Casaubonus aliique nautilum recte dixerint alcedinis nido delectari, ut ipse sententiarum nexus plane contraria doceat. Etenim v. 7—10 nautilus se dicit cum mari terram continentem permutasse duas ab causas, et ut Arsinoae gratum faceret et vero quod societatem alcedinis, quae in nautili cubilibus ovum pariebat, magnopere gravatus esset. Ex quo rursum sequi videtur, ne haec quidem verba v. 9: *εἰμὶ γὰρ ἄπνους* esse posse incorrupta. Tametsi enim concha nautili *ἄπνους* esse h. e. vita carere per se dici recte posset: hoc tamen loco nexus postulat, ut potius ejus odii ratio reddatur, quo nautilus ferebatur in alcedinem, quae tam cupide in alienum cubile involasset. Itaque *ἀπτήν* pro *ἄπνους* conjicio: *εἰμὶ γὰρ ἀπτήν* i. e. „sum enim implumis, sive, neque enim sum avis“. Prorsus eodem modo homo, quod non avis sit, *ἀπτήν* dicitur Aristophani in Avv. v. 687 lepide ut solet jocanti. At, inquit, unde auditum hoc adfers, in nautilorum cubili alcedinem nidulari?

*) Casaubono iudice nautilus solitus erat petere, ut alcedines sibi nidificarent. Valide Schweighaeuser adsentitur: tempus enim, quo alcyon ova pariat, ob mare tunc tranquillum nautilo inprimis gratum fuisse. Idem Casaubonus v. *θαλάμας* hic significare censebat „nidos alcyonum“, id quod ille Goettlingio probavit. Plures inventi sunt, qui v. *θαλάμας* de concha nautili male acciperent. Unus vero hic quoque recte sapit A. Meinekius negans ille omnibus his nugis quidquam effectum esse. Nam vir egregius l. l. p. 270 praefatus hoc distichon aenigmatis instar esse necdum bene soluti ita pergit verbotenus: „non solvit certe neque Bentleyus sensum esse affirmans, non amplius victitarem ovīs alcyonum“, nec qui nuper *ἄπλους* scribendum censuit vir doctus in Mützellii Annal. rerum schol. 1860 p. 348, nec denique Schneiderus Philol. Gott. IV p. 567 *θαλάμας* de ima conchi parte intelligens. quis enim unquam audivit, vel nautilum alcyonum ovīs victitare vel alcyones in nautilo ova parere? in hujus *ἀπορίας λύσις* cardo rei vertitur.“

Respondeo primum id fortasse creditum esse atque etiam comparo haud ita dissimiles versus Oppiani Hal. I, 138—142. *) Sed ut hoc quidem non modo totum sit falsum, sed ne vulgo quidem creditum: Callimacho tamen sic quoque ob rationes poeticas id fingere omnino licuit. Nunc ad v. 10 transeo. Hic autem quum vulgata in Athenaeo scriptura haec sit: *τίκτει τ' αἰνοτέρης*, Laurentiani autem haec lectio: *τίκτει δ' αἰνοτέρης*, omnes fere critici auctore Bentlejo *τίκτεται νοτερῆς* scripserunt, ut quod eis et ad ipsam sententiam commodissimum videretur et ad literarum mutationem lenissimum. Unus tamen Jacobsius in ed. priore: *τίκτεται γοερῆς* corrigi maluerat, quae emendatio quum Schweighausero docta magis visa esset quam necessaria, postea in Anthol. Pal. II p. 770 et III p. 900 ab ipso Jacobsio repudiata est, ubi ad Bentlejanum illud *νοτερῆς* revolvitur. At primo istuc Bentleji *νοτερῆς* epitheton est plane iners minimeque ferendum, deinde Jacobsi conjectura *γοερῆς* in alcedinem, flebilem aviculam per se cadit, in nostrum quidem locum non cadit. Immo nautilus alcedini jure iratus est, quae non sine dolo malo ovum suum in alieno cubili parere audeat. Hinc adsumta Bentleji emendatione *τίκτεται* non dubito ita potius corrigere: *τίκτεται δολερῆς* —. Quid, quod eodem spectare videtur lectio illa *τίκτει δ' αἰνοτέρης*, si tamen

partim vulgatam significat: *τίκτει τ' αἰ* —, partim autem: *νοτερῆς* hoc est *νοτερῆς*, supra posito *δολερῆς*. Restat solus v. 12, de quo paucis dicendum est. Male enim pro *καὶ Σμύρνης* olim conjeceram: *καὶ Σμύρνης* et volueram hoc dici: „honeste enim vivit Selene, quamvis Smyrnae nata sit“ (de Jonum mollitie vide vel Aristoph. Thesmoph. v. 163 et Horat. Carm. III, 6, 21). Eodemque modo ab Heckero in Comm. Anthol. I p. 161 erratum est, cui ipsi quoque haec verba mutare placuit. Omnino in acumen aliquod desinere epigrammata solent (quae ipsa res me induxerat), sed ut hic nihil mutetur, acumen salvum erit. Meliora enim Meinekio ad Callim. p. 271 me docuit, quocum ibidem Hauptius recte consensit, hisce Callimachi verbis nihil esse sanius. Attamen id quod Meinekio l. l. p. 271 et ad Theocrit. XVII, 58 p. 317 placuit, Arsinoen Smyrnae natam esse, sine ullo teste dictum est et ex his tantum verbis *καὶ Σμύρνης* audacius conclusum. Enimvero ad tuendam scripturam *καὶ Σμύρνης* satis est, Smyrnenses Arsinoae et Ptolemaei Philadelphi gratia floruisse, non quo ibidem Arsinoe nata fuerit, sed alias ob causas, quae multae excogitari possunt. Ita et Callimachus *καὶ Σμύρνης* scripserat, et Arsinoe non Smyrnae sed ubi maxime credimus, Alexandriae in lucem edita erat. Nunc Callimachi de nautilo epigramma integrum videtur adponendum esse:

Κόγχος ἐγὼ, Ζεφυρίτι, πάλαι τέος· ἀλλὰ σὺ νῦν με,

*Κύπρι, Σεληναίης ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις
ναυτίλον· ὃς πελάγεσσιν ἐπέπλεον, εἰ μὲν αἴται,
τείνας οἰκείων λαΐφος ἀπὸ προτόνων·*

*εἰ δὲ γαληναίῃ λιπαρὴ θεός, οὐλος ἐρέσσω
ποσσίν· ἴδ' ὥς τῶργω τοῦνομα συμφέρεται.*

*ἐκ δ' ἔπεσον παρὰ θίνας Ἰουλίδος, ὅφρα γένωμαι
σοὶ τι περισκεπτον παίγνιον, Ἀρσινόῃ,
μηδὲ μοι ἐν θαλάμῳ ἔδ' ὥς πάρος (εἰμὶ γὰρ ἀπτήν)
τίκτεται δολερῆς ὥσον ἀκνύνης.*

*Κλεινίου ἀλλὰ θυγατρὶ δίδου χάριν· οἶδε γὰρ ἐσθλά
ῥέζειν καὶ Σμύρνης ἐστὶν ἀπ' Αἰολίδος.*

Post tot tantorumque criticorum curas non omnia Callimachi epigrammata longam orationem desiderant, sed brevissimum quodque et multa etiam de longioribus ejusmodi sunt, ut paucis rem liceat transigere. Quorum maximam partem e communi fonte derivatam scimus Anthologiae et omnia jam dudum accurate collecta esse. Raro autem aliis vel scriptoribus graecis vel grammaticis Suida antiquioribus uti contingit, qui ipsi quoque aliquod Callimachi epigramma adtulerint. Adeo plerumque, ut de Planude taceam, ad Palatinum codicem, optimum quidem, veruntamen unicum res rediit. Quo magis

*) Callimachus, vir longe doctissimus talia quoque explorata habebat: scripserat enim librum, *Περὶ ὀρνέων*.

nostrum est, nihil temere negligere et si quid auxilii critici usquam ostendatur, id etiam atque etiam considerare nec dimittere oblatum: cujusmodi donum alba avi est rarius. Attamen, ut primo quoque potissimum utamur, in cod. Paris. Supplement. 352 (est autem bombycinus saec. XIII) insunt etiam carmina christiana bene multa, quibus in fine nonnulla adduntur graecorum poetarum epigrammata*) generis plerumque erotici, partim illa etiam inedita, quae caeteris immixta sunt; sed major eorum pars in edita Anthologia exstat. Poetarum nomina ubique desunt. Quae omnia a Cramero in Anecd. Paris. Vol. IV p. 265 sqq. in his etiam epigrammata, quae dixi, ibidem p. 366—388 edita sunt atque sic edita, ut ille codicis sui lectionem nunquam tacito immutaret. Haec igitur carmina ex Anthologia non vulgata, sed e pleniori Anthologiae codice sumta esse adparet neque id Cramerum l. l. p. 388 latuit. Ceterum etiam Planuden integriore Anthologiae codice, quam noster nunc est Palatinus, instructum fuisse Jacobsius in Proleg. p. LXXXV egregie ostendit. Tamen sic quoque et ignotus liber Planudis et Palatinus cum Parisino e communi omnes fonte fluxerunt illius Anthologiae, quam Constantinus Cephalas olim composuerat. Parisinum librum, ubi Palatinus deficit, necessario sequemur; caeteris autem locis Parisini scripturae nunc meliores Palatino nunc etiam deteriores sunt, ut criticos sui quemque mancipi esse oporteat. Haud pauca Luciani aliorumque scriptorum epigrammata, de quibus postea dicemus, libro continentur Parisino, sed e Callimacheis, id quod vehementer doleas, unicum epigramma Parisino codici inest l. l. p. 384, quod non abest a cod. Pal. Exstat enim idem in Anthol. Pal. XII, 118 unde in ed. Callimachi Epigr. XLII p. 104 Meinekius recepit. Hoc carmen dico, cujus initium est: *Εἰ μὲν ἔκων Ἀρχὴν ἐπεκώμασα* —. De quo hic exponere placet, idcirco quod ne ii quidem, qui scire rem poterant, Heckerus, Meinekius alique ullam Parisini codicis hic rationem duxerunt. Ac tamen Meinekius ipse hac Crameri collatione olim ad aliorum poetarum emendationem optime usus erat in Analect. Alex. p. 394 sqq. Sed, uti Plautus alicubi verissime, fieri istuc solet: quod manu teneas atque oculis videas, id desideres. Ad Callimachum reverter. V. 1. *ἀρχεῖν* (vel *ἀρχεῖν*) Pal. (Palatinus), *ἀρχῆν* Paris. (Parisinus). *Ἀρχὴν* Bentlejus restituit. ibid. *ἐπεκώμασα* Pal. *ἐπεκώμασα* Paris. V. 2. *ἄκων* libri, *αἰκων* Meinekius, recte ut videtur. ibid. *ὄρα* Pal., quod plerique editores recte interpretati *ὄρα* scripserunt, sed verissime Paris. *ἔα*, quod ego tandem restitui. Idem Parisinus in fine v. 4 pro verbis *σώφρονα θυμὸν ἔχειν* exhibet: *τὴν βίαν ὄσσην* (pro *ὄσσην* voluit opinor σου) *ὄρα*, quod pertinet ad v. 2 et male versu 4 positum est fallente homoeoteleuto *ἔα* atque *εἰα*. Est autem illud: *τὴν βίαν σου ὄρα* verborum v. 2: *τὴν προπέτειαν* *ἔα* glossema, non illud sane aptissimum, sed tamen clarissime adparet vulgatam *ὄρα* e scholio et glossema natam esse. Hoc vult poeta: „omitte temeritatem“, h. e. *μὴ μέμῃρον*.) V. 3. *ἄκρητος* Pal. recte, *ἀκρατος* Paris. ibid. *μὲ ἀνάγκασεν* Pal., sed optime Paris.: *μὲ ἠνάγκασαν*. Itaque scribendum est: *μὲ ἠνάγκασαν* cum Hermanno ad Viger. p. 709, Heckerio l. l. et p. 104 Meinekio. Et ita dudum alii scripserunt in apographo Lips. At non prorsus recte neque Brunckius: *ἐμὲ ἀνάγκασαν*, neque Jacobsius: *μὲ ἠνάγκασεν*, qui singularem diserte tueri studebat. Denique alia conjectura: *μὲ ἐπανάγκασεν* omnino explodenda est. ibid. Dictionem *ὧν ὁ μὲν αὐτῶν* e Nonno aliisque poetis Hermannus ad Viger. p. 709 illustravit et recte statuit *αὐτῶν* abundare. V. 4. *ὁ δ'* Pal., *ὁ δ'* Paris. ibid. *σώφρονα θυμὸν ἔχειν* Pal. recte, quorum verborum loco Paris. dat: *τὴν βίαν ὄσσην ὄρα*. Sed de hac re supra ad v. 2 satis dictum est. V. 5 sq. Ultimum hoc distichon

*) Comparare licet, quibus philosophorum graecorum sententiae insunt, certa quaedam gnomologia ab doctis monachis instituta, inprimis a S. Maximo (Confessore), ab Antonio (Melissa) et ab anonymo, cujus Florilegium Lipsiae a. 1864 Westermannus evulgare coepit. Nam in his quoque syllogis christianorum gnomae ubique praecedunt, sequuntur autem ethnicorum, et ut quaeque sylloge recentissima est, ita christianorum sententias complectitur plurimas, paucissimas autem ethnicorum.

**) Pro *ὄρα* plura Palatini apographa male habent *ἔξε*, quod Brunckius audacter recepit. *ὄρα* tuebatur Bentlejus, quod mirere, persuadebatque Jacobsio et l. l. p. 104 Meinekio. Eidem tamen Meinekio, quum postea ibid. p. 310 *τὴν προπέτειαν ὄρα* h. l. inepte scriptum esse animadvertisset, verum esse videbatur, quod in Comm. de Anth. ed. pr. p. 360 male conjecit Heckerus: *τὴν προπέτειαν, ὄρα, ἀκρητος καὶ ἔρως μὲ ἠνάγκασαν*.

adtulit etiam Plutarchus De Cohibenda Ira c. 5 sine nomine Callimachi. V. 5. ἐβόησα libri omnes, h. e. Pal., Paris., Plutarchus isque non solum in Callimachi versu, sed etiam ipse propter haec ipsa verba οὐκ ἐβόησα hoc distichon attulit. Sed Bentlejus Plutarchei loci ignarus haec ita corripit: ἐλθὼν δ' οὐκ ἐνόησα τίς ἢ τίνας, ἀλλ' ἐφίλησα | τὴν δειρήν —, sententia per sese utique ferenda. Hinc multi Bentlejo nimis addicti conjecturas istas ita receperunt, ut tamen auctore Piersono in Verisim. p. 86 pro ἐνόησα ionice ἐκόησα scriberent, dico Piersonum ipsum, Brunkium, Blomfieldum atque etiam Meinekium p. 104, qui tamen postea p. 310 servata altera Bentleji conjectura τὴν δειρήν librorum scripturam ἐβόησα revocari jussit, quae sine magno sententiae detrimento coire sane poterant. Illud vero ne per se quidem fieri potuit, ut Callimachus sic loqueretur, quemadmodum Jacobsius, V. S., edidit: ἐλθὼν δ' οὐκ ἐκόησα τίς ἢ τίνας, ἀλλ' ἐφίλησα | τὴν φλήν. Immo Bentleji conjecturae aut ambae sunt probandae, aut ne utra. Utraque autem certo explodenda est, si quidem codices salva sententia et ἐβόησα et deinceps τὴν φλήν restitui jubent. Quum venissem, inquit, non clamans interrogavi, quis aut quo parente natus esses, sed limen postesque saviatus sum. Non opus est v. ἐβόησα ad flebile carmen referre, uti Plutarchus fortasse voluit, qui de hoc Callimachi l.: αἱ ἐρωτικαὶ προάξεις, inquit, οἷον ἐπικωμάσαι καὶ ἔσαι —. Etsi Fronto in Erotico p. 258 (ed. Naber) prope conjunxit: βοή τις ἀκόλαστος et τὰ τῶν ἐρώτων ἄσματα. Adde quod παρακλαυσίθυρα saepe clamantium erant non canentium ut Plautinum in Curcul. I, 2, 60 (v. 148): Pessuli, heus pessuli —! Sed ad Callimachum bene intelligendum satis est rem istam non actam esse clamoribus. Ibid. ἐφίλησα Pal. cum Plutarcho recte. ἐφύλαξα Paris. solus pessime. V. 6. τὴν φλήν Parisinus, qui Palatini lectionem: τὴν ἱαρήν (sic) graviter nunc refutat. Parisinus enim egregie convenit cum Plutarcho, ubi vulgo τὴν φλήν, sed unus Plutarchi codex: τὴν φλήν habet, uti Salmasius ultro conjecerat. Et idem Jacobsius, qui modo ἐβόησα non bene mutavit, hoc τὴν φλήν optime tuitus est ut poetae consilio aptissimum. Fuit tamen, qui Reiskii conjecturam: τὴν φιαρήν probaret. At non de puella h. l. sermo est, sed de puero meritorio, Archino. Quaeri hoc unum potest, quomodo Palatini vitium ἱαρήν natum sit, in quo (similiter ac v. 2 in ὄρα) glossema latet veluti θύραν. Jacobsio enim censenti non multum interesse inter syllabas φλήν et ἱαρήν non adsentior. Quamobrem Bentleji conjectura τὴν δειρήν solo isto Palatini vitio ἱαρήν innixa omnibus modis laborat et oblivioni tradenda est. Hanc tamen facete ita tuetur Blomfieldus: Bentleji lectionem (sic) unice veram puto. Limini enim osculum dedisse non esset idonea offensionis causa. En cui tu epigrammata mirifice illustranda committas. Non vidit homo optimus in ea ipsa re quam culpat hujus epigrammatis inesse acumen. Jucose enim demonstrat amator nescio quis, se ab Archino summa injuria reprehensum esse. Ceterum vox ἡ φλή ab Homero (Od. ε', 221) accepta in Anthologiae poetis saepius legitur uti in Anth. Pal. XII, 124 v. 1. Apud Callimachum vero hisce verbis ἐφίλησα τὴν φλήν nihil aptius ne cogitari quidem potest. Nam hoc ipsum amatores flebile carmen decantantes solebant facere teste vel Lucretio De R. N. IV, 1179: at lacrimans exclusus amator limina saepe | floribus et sertis operit postisque superbos. | unguis amaracino et foribus miser oscula figit, ubi Wakefieldus similes aliorum poetarum versus comparavit. Ibidem ἐστ' Pal. cum Plutarcho recte, ἐστίν Paris. solus. Mox libri ἀδικῶ, pro quo Meinekius malit ἀδικέω, ego autem nolim. Quae quum ita sint, Callimachi epigramma totum ita arbitror scribendum esse:

Εἰ μὲν ἐκὼν Ἀρχίν' ἐπεκώμασα, μυρία μέμφοι
εἰ δ' ἀέκων ἦκω, τὴν προπέτειαν ἔα.
ἄκρητος καὶ ἔρως μὲν ἠνάγκασαν, ὣν δ' μὲν αὐτῶν
εἰλεν, ὃ δ' οὐκ εἶα σώφρονα θυμὸν ἔχειν.
ἐλθὼν δ' οὐκ ἐβόησα τίς ἢ τίνας, ἀλλ' ἐφίλησα
τὴν φλήν· εἰ τοῦτ' ἐστ' ἀδίκημ', ἀδικῶ.

5

Sequitur, ut ea quoque Callimachi epigrammata, quae non multum negoti facessunt, hic paucis attingam. Exordiar autem ab eo loco, qui in Anth. Pal. VII, 458 sive in Meineki editione p. 107 sq. (L.) legitur et ab his verbis incipit: Τὴν Φρυγίην Αἰσχρὴν, ἀγαθὸν γάλα —. Dictionis γάλα de ipsa nutrice positae exempla Jacobsius desiderabat,

Meinekios non item, cujus loci minus habent offensae. Ego tamen non Valckenario, qui verba ἀγαθὸν γάλα corrupta voluit, sed Meinekio adsentior ipsique Bentlejo, cui haec adpositio peculiarem quandam elegantiam habere visa est. Quodsi nihil mutandum est, poetam crederes non de nutrice lactante loqui sed de vacca nitida et lactifera, quae plenis uberibus ferat niveum nectar. Ac profecto de Aeschra nutrice, quasi de vacca agi et in ea re hujus epigrammatis cerni acumen, etiam e v. 4 colligo, si modo hunc versum recte emendavi. Et Meinekios quidem ibi Brunckio duce sic edidit: ἡ γρηῦς μαστῶν ὥς ἀπέχει χάριτας, Jacobsius autem ita coniecit: ἡ γρηῦς τὰς μαστῶν (non τῶν μαστῶν) ὥς ἀπέχει χάριτας. At vero in cod. Palatino ita scriptum est: ἡ γρηῦς^{ως} μαστῶν ὥς ἀπ. χάρ. Qua lectione innixus ita corrigo: ἡ γρηῦς ὧν μαστῶν ἄς ἀπέχει χάριτας, id est, qualis (quam turgidae) mammae qualem gratiam ferat. Nempe Miccus, pius alumnus Aeschrae nutrici vel mortuae imaginem ponendam curaverat. Non minus lepide scriptum est simile epigramma, non illud tamen Callimachi in Anth. Pal. VII, 456, ubi Hiero Silenidem, nutricem suam mortuam singulari pietate dicitur prosecutus esse. Silenis fuerat bibosa, quod non sine acumine expositum est. Ita igitur illud Callimachi epigramma corrigo:

Τὴν Φρυγίην Αἰσχρὴν, ἀγαθὸν γάλα, πᾶσιν ἐν ἰσθλοῖς
Μίκκος καὶ ζῶν οὔσαν ἐγηροκόμει,
καὶ φθιμένην ἀνέθηκεν, ἐπεσσομένοισιν ὁρᾶσθαι,
ἡ γρηῦς ὧν μαστῶν ἄς ἀπέχει χάριτας.

Sed quum magnae hujus loci angustiae plura non capiant, alibi de Callimacheis epigrammatis disserere pergam. *)

*) Bachmannus noster in Callimacho diu ac multum versatus est, id quod vel e Meineki Praefatione p. VI concluditur. Quo magis doleo, Bachmannum (ut ab ipso accepi) in hymnis solis fere elaborasse, non item in epigrammatis. At sic quoque ut ea quae de hymnis Callimachi egregie commentatus esse videtur, quam primum edat, literarum causa optandum est.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim vitam Jesu Christi quinque diebus h. IX enarrabit; 2) privatim artem liturgicam et homileticam quinque diebus h. X tradet; 3) publice in Seminarii sodalitate homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinque diebus h. XI Symbolicen comparativam sive doctrinam ecclesiarum et sectarum tradet; 2) privatim quinque diebus h. XII Pauli ad Corinthios epistolam priorem interpretabitur; 3) publice orationem Christi in monte habitam et parabolas Domini secundum Synopticos explicabit die Lunae h. VI et h. VII.
- D. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim librum Geneseos explicabit quinque p. h. scholis hora VII; 2) privatim vaticinia Joelis, Amosi, Obadjae et Michae interpretabitur quinque p. h. hora IV; 3) publice in conversatorio exegetico Cantica quae VTi libris historicis inserta sunt explicanda proponet die Veneris hora VI—VIII vesp.; 4) privatissime sed gratis lectiones Mischnicas instituet duce Geigero (Lehr- und Lesebuch zur Sprache der Mischna, Breslau 1845) binis p. h. scholis definiendis.
- D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinque p. h. h. VIII, 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinque p. h. h. III tradet; 3) in conversatorio selecta capita theologiae apologeticae tractabit, et 4) in seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

- D. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum quinque p. h. docebit h. XI.; 2) encyclopaediam juris quinque h. IX.
- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., 1) docebit Pandectarum partem primam (praecepta generalia) quinque p. h. scholis h. XII; 2) historiam juris Romani tradet quinque scholis h. XI; 3) Relatorium instituet die Saturni h. XI—I.
- D. Hugo Boehlau, P. P. O., I. privatim 1) historiam juris Germanici exponet quinque hh. cc.; 2) jus mercatorium docebit quinque h. X; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum tradet ter p. h. h. XII; II. publice jus cambiale docebit binis p. h. horis die Saturni h. IX—XI.
- D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) theoriam processus civilis docebit sexies h. IX; 2) institutiones juris Romani tradet sexies h. X; 3) practicum quod vocant processus civilis docebit horis cc.; 4) Gajanarum institutionum commentarium III^{um} interpretabitur hh. cc.

- D. Carolus Ludovicus de Bar, P. P. O., h. t. Decanus, 1) jus criminale commune et Mecklenburgicum docebit sexies p. hebd. h. IX; 2) processum criminalem communem et Mecklenburgicum, quater p. h. h. X.

In ordine medico.

- D. Carolus Stempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.
- D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice anatomen pathologicam specialem, 2) privatim pathologiam et therapiam specialem senis diebus h. IX docebit; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI in policlinico bis per hebdomadem horis definiendis moderabitur.
- D. Franciscus Winckel, P. P. O., 1) clinicum gynaecologicum quinis diebus h. VIII moderabitur; 2) privatim gynaecologiae partem priorem: artem obstetriciam, quinis horis; 3) publice pathologiam et therapiam partus binis horis docebit.
- D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) privatim physiologiae partem alteram (functiones vegetativas) quotidie h. VIII; 2) publice encyclopaediam et methodologiam medicinae diebus Lunae et Jovis h. XII docebit; 3) privatissime exercitationes physiologicas moderabitur bis per hebdomadem horis ternis.
- D. Phil. Jac. Guilielmus Henke, P. P. O., 1) anatomes c. h. partem alteram quotidie h. XII; 2) histologiam exercitationibus illustrandam binis diebus h. IX—XI; 3) publice artem res anatomicas delineandi die Lunae h. IX—XI docebit.
- D. Theodorus Ackermann, P. P. O., 1) materiam medicam quaternis p. h. horis privatim docebit; 2) pathologiae et diagnostices selecta capita experimentis et disquisitionibus practicis illustranda in instituto pathologico privatim exponere perget senis p. h. horis; 3) exercitationes laryngoscopicas publice moderabitur.
- D. Carolus Hueter, P. P. O. des., 1) clinicum chirurgicum diebus Martis, Jovis et Saturni h. XI—I et dimidia moderabitur; 2) doctrinam operationum chirurgicarum iisdem diebus h. X; 3) chirurgiam generalem diebus ternis h. IV docebit; 4) operationes chirurgicas in cadavere exercendas reget horis definiendis.
- D. Guilielmus de Zehender, P. P. H., 1) ophthalmologiae partem priorem quaternis p. h. horis docebit; 2) exercitationes practicas in clinico et policlinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimidia moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur, horis definiendis dabit.

- D. Franciscus Eilh. Schulze, P. P. E., theatri anatomici Prosector, 1) osteologiam comparatam ternis horis, 2) anatomen comparatam organorum respirationi inservientium ternis horis docebit; 3) ad exercitationes anatomes microscopicae bis p. h. binis horis instituendas commilitones in ejusmodi exercitationibus jam versatos invitat.
- D. Joannes Schroeder tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examina et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.
- D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) de mulierum morbis quaternis p. h. horis lectiones habebit; 2) cursum operationum quae in arte obstetricia adhibentur, ter per hebd. dabit; 3) methodum explorationis gynaecologicae explicabit.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., h. t. Decanus, privatim: 1) ternis diebus h. VIII Horati Sermonum lib. posteriorem explicabit; 2) ternis diebus hora eadem selectos Luciani dialogos interpretabitur; 3) binis diebus h. II de linguae graecae dialectis exponet. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Theocriti idyllia et Lucreti De rerum natura libri postremi tractabuntur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanices generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VIII; 3) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.
- D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) agros metiendi doctrinam tradet sexies p. h. h. III; 2) culturam plantarum agrestium quater p. h. docebit h. X.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim: 1) ter per hebd. Euripidis Helenam interpretabitur; 2) ter per hebd. Ciceronis ad Atticum epistolas explicabit. Privatissime quater per hebd. Archaeologiae graecae selecta capita pertractabit.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit privatim: 1) geometriam analyticam quater p. h.; 2) physices experimentalis partem primam (mechanicam, acusticam, optice) quinquies p. h.; 3) mineralogiam quater p. h. horis definiendis. Privatissima proponit collegia de qualibet matheseos vel physices parte.
- D. Franciscus Ferdinandus Schulze, P. P. O., 1) chemiam docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur, vel diebus Martis et Veneris h. III—VII, vel quotidie horis VIII—XII et III—VII; 3) exercitationes agronomicas instituet, horis definiendis.
- D. Carolus Bartsch, P. P. O., h. t. Rector, 1) publice de Goethii Fausto bis p. hebd. disseret; 2) publice Calderonis drama „La vida es sueño“ inscriptum praefatus de poetae vita et scriptis interpretabitur binis p. hebd. scholis; 3) privatim artem Germanorum metricam ter p. hebd. tradet; 4) Seminarii philologici teutonici exercitationes moderari perget.

- D. **Hermannus Roesler**, P. P. O., docebit quinis per hebd. diebus:
1) doctrinam de redditibus publicis; 2) oeconomiam publicam sive doctrinam de rerum oeconomicarum administratione publica.
- D. **Fridericus Guilielmus Schirmacher**, P. P. O., 1) privatim: De Gallorum seditione a. 1789 exorta disseret quinis diebus, h. XI—XII; 2) publice: historiam magnae Britanniae (saec. XVII et XVIII) narrabit binis diebus h. XII; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet, ter p. h.
- D. **Fridericus Francke**, P. P. E., 1) publice anthropologiam psychicam s. psychologiam praecipiet quaternis per hebd. diebus. Privatim docebit 2) logicam quinis p. h. dd.; 3) metaphysicam itidem quinis p. h. dd.
- D. **Carolus Weinholtz**, 1) de idealismo et realismo, rationalismo et empirismo historice et critice disseret comparato organoidealismo qui explicatus est in libro ipsius: „Das organisch-idealistische System der Philosophie“; 2) notionum evolutionis doctrinam exponet ex logicae compendio suo.
- D. **Julius Robert**, 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum francogallicarum saeculi 18ⁱ docebit ter p. h.; 3) virorum literatorum, qui nunc florent imagines depinget publice bis p. h.
- D. **Salomo Gustavus Ludovicus Cohen**, 1) exercitationes practicas in clinico veterinario in eorum usum moderabitur, qui agriculturae student; 2) de animalium domesticorum partu adjuvando, 3) de disciplina publica deque medicina forensi in morbis animalium contagiosis disseret.
- D. **Ferdinandus de Roda**, in Seminarii sodalitie cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit, quater per hebd.

Bibliotheca extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis, et praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

C. Bartsch, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Otto Krabbe**, Th. D.

Jurisconsultorum **Carolus de Bar**, J. U. D.

Medicorum **Theodorus Thierfelder**, M. D.

Philosophorum **Franciscus Fritzsche**, Ph. D.